



stavit erga Patres ob eorum consortium luctus propter mortem praesidis Statuum Foederatorum. Dein annuntiavit sequenti die distributum iri elenchos Patrum propositorum ad eligendos sodales commissionum. In illa electione, statuente summo Pontifice, sufficiebat, inde a prima vice, maioritas relativa.

Dein legit nomina eorum, qui ad normam art. 57 § 6 *Ordinis* loqui adhuc petierant de cap. I schematis *de Oecumenismo*; necnon nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. II eiusdem schematis.

Moderator Patres monuit ut intra materiae et temporis limites manerent atque ad loquendum de cap. I schematis *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Gabriel Manek, arch. Endehensis, Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanensis; rev.mus P. D. Sigwardus Kleiner, abb. gen. Ordinis Cisterciensis; exc.mi PP. DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Stephanus Leven, aux. S. Antonii, Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.

Dein ad loquendum de cap. II schematis *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt em.mi card. PP. DD. Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile; beat.mus P. D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus latinorum; exc.mi PP. DD. Vilhelmus Conway, arch. Armachanus, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Antonius Cardoso Cunha, aux. Beiensis, Ioannes Gay, ep. Imae Telluris, Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melchitarum, Alfonsus M. Sanchez, ep. Papantlensis, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,21 finita est.

## LXXVI

Congregatio generalis septuagesima sexta habita est die 27 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.122 Patres, nempe: 54 cardinales, 7 patriarchae, 8 primates, 351 archiepiscopi, 1.541 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Gordon Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus *Confitemini Domino* (Palestrina), *Ave verum Corpus* (Viadana), *Confirma hoc Deus* (Gallus).

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo



P. D. Francisco Minerva, ep. Lyciensi, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*, et, prece *Adsumus...* recitata, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item communicavit illa die distributum iri elenchos Patrum ad commissionum sodales eligendos, et fasciculum cum schedis electionis, sequenti die peragenda.

Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. II schematis *de Oecumenismo*.

Ad loquendum ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Nuer, aux. Thebanus, Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis, Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis, Conradus Mingo, arch. Montis Regalis, Eduardus Nécsey, adm. ap. Nitriensis, Paulus Schmitt, ep. Metensis, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis.

Hora 10,47 moderator conclusionem disceptationis circa cap. II schematis *de Oecumenismo* Patribus proposuit. Patres surgendo consenserunt.

Tunc secretarius generalis legit nomina eorum, qui circa cap. III schematis *de Oecumenismo* loqui petierant, et, proclamato nomine em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, monuit Patres ut in schedulis electionis, si casus ferret, ad distinguendas personas, nomen et cognomen, imo et dioecesim et munus electi inscriberent.

Dein ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mus card. P. D. Antonius Bacci; beat.mus Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, exc.mi PP. DD. Bernardinus Collin, ep. Diniensis, Georgius Dwyer, ep. Loidensis, Henricus Jenny, aux. Cameracensis, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis, Eduardus Mason, vic. ap. El Obeid, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Isaac Ghattas, ep. Thebanus, Narcissus Jubany Arnau, aux. Barcinonensis.

Durante congregatione, Patribus fasciculus distributus est, cui titulus: *Patrum Conciliarium indices sicut a Conferentiis Episcopalibus exhibiti sunt ad sodalium commissionum conciliarium numerum augendum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,18 finita est.